Coelius Bichius Juris utriusq. Doctor

Sanctissimi Dni Nri Papae Capp.mus ac ipsius Sacri Palatij Apostolici causarum necnon Sacrae Rotae
Auditor Judexq. Commissarius in causa et causis huiusmodi ac partibus infrascriptis ab eodem Sanct.mo D. N.
Papa specialiter atq. expresse deputatus, Universis et singulis hoc pns Sententiae diffinitivae
publicum Instrumentum visuris lecturis, pariter atque audituris salutem in Dno, et
nris huiusmodi fidem indubiam adhibeatis. Noveritis quod alias legitime citatis coram
Nobis in Sacro Rotae Auditorio ad diem infrascriptam D. Carolo Montio ex aduerso Pro-
curatore D. Instigatoris Officij seu Promotoris Ill.mi et R.mi D. Episcopi Cracovien. ex adverso
principalis per Discretum Virum Jo. Baptistam Prelibai Sanct.mi D. N. Papae Cursorem et
eodem D. Instigatore per Audientiam publicam litterarum contradictar. Sanct.mi D. N. Papae ut
moris est ad videndum et audiendum per Nos ferri, et promulgari sententiam diffinitivam
in forma d. Nos instante petente et comparente D. Francisco Liberato Procuratore RR. DD.
Stanislai Jurkowski, ac Gabrielis Ochoki, necnon Achademiae ac Universitatis Professo-
rum Studij Cracovien. tam coniunctim quam divisim et alias omnibus nominibus de qui-
bus in actis principalium nostram inscriptis de RR. PP. DD. Coauditorum nrorum voto consilio
pariter et assensu tulimus, et promulgavimus sententiam diffinitivam eamque subscripsi-
mus et infrascripto huius causae Notario et Scribae consignavimus tenoris subsequentis
Xpi. Christi Nomine invocato Pro Tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes
per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam de Dnorum Coauditorum nrorum consilio
pariter et assensu ferimus in his scriptis in causa, et causis quae primo et in prima coram Ill.mo
et R.mo D. Episcopo Cracovien. secundo vero, et in secunda, seu alia veriori coram Nobis verse fuerunt et
vertuntur instantia inter D. Instigatorem seu Promotorem Officij Curiae d. R.mi D. Episcopi Actorem
ex una, ac Adm. Rev. D. Stanislaum Jurkoski in insigni Achademia seu Universitate Studij Cra-
covien. Sac. Theologiae Professorem reum conventum de et super annullatione eius promotionis
seu admissionis ad responden. pro loco inter Doct. Sac. Theol. et D. Gabrielem Ochoski in ead.
Achademia Medicinae Professorem reum pariter conventum de et super praetensa contraventione
inhibitionis d. R.mi D. Episcopi occasione dictae promotionis, seu admissionis necnon etiam
eandem Achademiam, ac eius DD. Rectorem et Professores respective rebusq. alijs pro-
ut in actis tam coniunctim quam divisim et alias omni meliori modo partibus ex altera
dicimus, pronunciamus sententiamus definimus et declaramus bene pro parte d. D. Stanislai
Jurkowski fuisse et esse appellatum a sententia d. R.mi D. Episcopi, male vero et nulliter
fuisse per eundem R.mum D. Episcopum iudicatum et admissionem dicti D. Stanislai tamquam
factam legitime et a praedictis DD. Rectore et Professoribus Achademiae habentibus potestatem
admittendi confirmandam fore, et esse prout confirmamus, et respective sententiam d. R.mi D. Epis-
copi contra D. Stanislaum latam fuisse et esse annullan. et infirmandam prout annullamus et infir-
mamus. Item pari nostra sententia dicimus, sententiamus, et declaramus bene pariter pro parte dicti D.
Gabrielis Ochoki fuisse et esse appellatum a sententia contra ipsum lata per d. R.mum D. Epum male vero
per eundem iudicatum, et sententiatum et proinde illius sententiam annullandam, et infirmandam
fore et esse prout annullamus, et infirmamus necnon pro potiori cautela eundem D. Gabrielem ab
excommunicatione contra eum fulminata quatenus opus sit absolvimus, et liberamus, et pro absolu-
[illegible] [illegible] mandamus. Item dictum D. Actoribus in expensis condemnamus, quarum taxationem
[illegible] de iure in posterum reservamus, et pro praemissis omnibus mandatum [illegible] de-
super necessarium et opportunum decernen. et relaxan. fore et esse prout decernimus [illegible]
tamus. Et ita dicimus, pronunciamus sententiamus, definimus et declaramus singula sin-
gulis congrue referendo non solum praemisso, sed et omni alio meliori modo &. Ita pronun-
ciavi Ego Coelius Bichius Sacrae Rotae Auditor. + In quorum omnium, et singulorum prae-
missorum fidem has praesentes fieri, et per Notarium Nrum publicum infrascriptum sub-
scribi et publicari sigillique nostri iussimus ac fecimus impressione muniri. Da-
tum Romae ex Aedibus nostris Anno a Nativitate Dni Nri Jesu Christi Millesi-
mo sexcentesimo quinquagesimo secundo, Inditione quinta Die vero octava men-
sis Aprilis Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris et Dni Nri Dni
Innocentij Divina providentia Papae Decimi Anno eius octavo. Praesentibus
ibidem audientibus et intelligentibus Providis atque Discretis Viris Dominis
Quirino Farina et Archangelo Barono Sacri Pallatij Apostolici causarum
Notarijs atque Scribis publicis Testibus ad praemissa omnia, et singula
vocatis, habitis specialiter atque rogatis



Ego Clearchus Buschus Romanus Sacri Palatij Apostolici causarum
notarius pro Successore Tiburtij Guiderone eiusdem Sacri Palatij
Apostolici causarum notarij de praemissis rogatus hoc praesens
instrumentum subscripsi, et publicavi requisitus in fidem

Instrumentum sententiae

850

922

wyjęto z rkpsu 226

Dypl. 569

[illegible]